











226.



13684

16. 3.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO POLITICA

De

NUPTIIS,

20

Quam

Dei Trinunius Clementia

adjuvante,

in

Celeberrima VVitebergensium Academia

SUB PRÆSIDIO

V I R I

Præ-Eximii & Præclarissimi,

DNI. M. JACOBI *Rosers*

Sondershusâ Schvvartzburgici,

Fautoris atq; Præceptoris sui maximoperè colendi,

Publico & placido Eruditorum Examine

submittit

AUTHOR

ANDREAS MYLIUS,

Ileburgô Misnicus.

In Audit. Minor. ad d. 11. Jul.

hor. antemerid,



VVITEBERGÆ , Typis Johannis Haken,

M. DC. LXIIX.



10

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT

UNIVERSITY OF
MAGDEBURG


LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT

UNIVERSITY OF
MAGDEBURG

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT

m
p
e
e
N
ri
m
ce
va
N
C.
tu
qu
do
po





Σὺν Θεῷ

Ἀντὶ τοῦ ἁγίου

Quæ erat Areopagitarum vox, nisi quod Imperatoris Justiniani exemplo, ab invocatione Servatoris nostri **JESU CHRISTI**, nunquam non incipientis, summum Numen imploremus, ut conatibus hisce benedicat, ut omnia ex antiqua cedant formula **FELICITER**. Sit ergo

THESIS I.

Nuptiæ dicuntur à Nubendo, i. e. operiendo, velando, quod Romanis novæ nuptiæ velo & velamine, vel pudoris gratia se obnuberent & velarent, seu ut scirent, semper maritis subditas futuras & humiles.

Thef. 2. Patitur autem Vocabulum Nuptiarum triplicem vocis acceptionem. Sumitur enim I. pro ipso die festivo, quo nuptiæ celebrantur apud **Jctos l. sancimus 24. C. de Nuptiis**. II. pro Corporum conjunctione **pr. Inst. de J. N. G. & C. III. pro Animorum conjunctione, quæ ex consensu nascitur matrimoniali. l. nuptias 30. π. de R. J.**

Thef. 3. Dicuntur Nuptiæ aliàs Matrimonium, ideò, quia mulier nubit, ut mater fiat. Matrimonium autem quandoque significat bona materna, atque tunc Patrimonio opponitur; quandoque maris & fœminæ conjunctionem, quo

sensu hoc loco accipimus : atque ita hæc duo vocabula *Nuptie* & *Matrimonium* idem significant. Dantur & alia Synonyma , quæ huc quoq; referri possunt , ut : *Conjugium* , *Connubium* , *Consortium* &c. A nonnullis *Contubernium* etiam annumeratur , quod olim quidem solummodo servorum *Nuptiis* attribuebatur ; jam verò servitute sublatâ ab infamiâ liberatum vocabulum videtur.

Thef. 4. Sunt verò *Nuptie* sive *Matrimonium Viri & Mulieris* *indissolubilis conjunctio, naturaliter à D E O instituta ob sobolis procreationem & mutuam Adjutorium.*

Thef. 5. Dicitur *Viri & Mulieris* , ut excludatur *Polygamia* simultanea. Affectus enim conjugalis in plures *scæminas* dividi non debet ; siquidem ab initio una *coستا* in unam *scæminam* , non in plures *conversa* fuit ; & *Gen. 2. v. 24* *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, non uxoribus, & erunt duo, non tres vel plures in carne una.*

Thef. 6. Nec obstant exempla Patrum in V. T. *Abrami, Davidis, aliorumq;* , quia *D E U S* ea non tam approbavit, quam toleravit ; Fuere insuper æquè ac alii homines peccatis contaminati , perversa consuetudine decepti , ut non ex ipsorum Exemplis , sed legibus in sacro Codice præscriptis sit judicandum. Non tam spectandum est, quid fiat, quam quid fieri debeat, nec, si quid contra LL factum est, id imitari licet exemplis ; & res mali exempli est vitanda. Inde Romanis, qui binas uxores eodem tempore sibi desponsaverat, infamia notatos fuisse *Jcti, ex arg. l. Pretoris. 1. π. de his qui infamia notantur*, probant. Germani quoque, quod singulis uxoribus contenti fuerint, laureolam quampiam à Tacito reportant. cap. 18. de moribus Germ.

Thef. 7. Per *Conjunctionem* non tam animorum quam Corporum intelligitur consensus. Quamvis enim *Ulpianus* alicubi in hæc erumpat, *Consensus, non Concubitus facit Nuptias*, id verum tantum est de *Matrimonio* , quatenus consideratur in primâ suâ perfectione, h. e. quando matrimonium tantum-

tantummodo est contractum, nondum verò consummatum; quatenus autem consideratur simul *in secundâ perfectione*, quæ in rei operatione consistit, quando Nuptiæ jam sunt celebratæ, tunc & Corporum requiritur consensus.

Thef. 8. Falli autem videntur, qui per *Indissolubilem Conjunctionem* significari putant vinculum tam arctum, quo conjuges inter se colligatæ sunt, ut id nulla ratione abrumpi queat. Nam utiq; dissolvitur matrimonium, vel *Morte, Adulterio, & Malitiosâ desertione*, uti inferius fusius patebit. Sed hæc verba matrimonium eo animo & proposito quidem in eundum esse, injungere volunt, ut nunquam dissolvatur, licet interdum eventus voto non respondeat.

Th. 9. Nuptiæ verò, ut sint justæ & legitimæ, requiritur à Justiniano, ut contrahantur juxta præcepta Legum. Leges autem requirunt, *I. Ut Personæ sint habiles. II. Ut adsit Consensus tam Contrahentium, quam eorum, in quorum potestate sunt. III. Ne inter nimium sanguinis propinquos contrahantur*, quæ ordine sumus proposituri.

Th. 10. Et Primò quidem *Personarum habilitatem* constituit *Ætas justa*, & excluditur *Impotentia Conjugalis*.

Thef. 11. Quoad *Ætatem* in Masculis requiritur pubertas, quæ incidere putatur in annum XIVtum, quo tempore vis generationis incipit moveri, & in fœminis, in annum XIIimum, qua ætate aptæ generationi fœminæ creduntur, quamvis non ex annorum numero, sed coeundi potentia æstimandæ sint. Nostris moribus ante annum XVIIIvum masculi, fœminæ verò ante annum XVtum, nisi pravâ libidine cupiditates refranare nesciant, haud facilè admittuntur.

Thef. 12. Excluduntur ergò, qui *potentiâ generandi destituuntur*, quales sunt *1. Eunuchi*, quos planè ab hac societate, ob finis denegatam consequutionem, removemus. *2. Senes*, non tamen illos puto, qui adhuc ætate gaudent vegetâ; sed eos, qui in decrepitâ senectute sunt constituti, ita, ut nullâ ratione liberis procreandis operam dare possint.

Thef. 13. Succedit *II. Consensus tam Contrahentium, quam eorum,*

eorum, in quorum potestate sunt. Nuptiæ enim consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui cœunt, quorumcunque in potestate sunt. Quod adeò verum est, ut, omisso eo, nuptiæ contractæ pro irritis habeantur; idq; eò, quod naturalis, & civilis ratio svadeat, ut jussus parentum precedat. Naturalis, quoniam æquum est, ut parentes, qui ad illam usque ætatem liberos educarunt, hoc honoris habeant, ut matrimonio consentiant. Civilis, propter Jus patriæ potestatis.

Thes. 14. Non tamen eorum expetendum censemus parentum omnium, qui mente capti; aut furiosi sunt. Hi enim consentire non possunt, sed illorum, qui rectæ rationis sunt capaces, nec per sorditiem suam suspendunt consensum.

Thes. 15. Nihil autem refert, sive Consensus sit tacitus, sive expressus. Nam qui non contradicit, nec evidenter dissentit, consentire intelligitur, l. in Sponsalibus 7. §. 1. π. de Sponsal. Modo sit certus, nec ex verbis ambiguis præsumptivè collectus.

Th. 16. An autem matris Consensus sit necessarius, controvertitur? Nos respondemus affirmando, & distingvimus inter Jus Civile, & Hodiernum. De Jure Civili non est necessarius, utpote quum mater non habuerit filium in potestate; Ergò nec ejusdem matris consensus de necessitate erat. Nostris verò moribus non fiunt legitimæ Nuptiæ nisi mater consentiat; ut vel matrimonium contractum possit rescindi, si dissensus sui justam causam allegare possunt.

Thes. 17. Tertiò deniq; ad legitimas nuptias requiritur, ne inter nimiâ sanguinis propinquitate junctos contrahantur.

Th. 18. Est autē Consanguinitas quasi sanguinis unitas, & describitur, quòd sit vinculum personarum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

Th. 19. Sumitur hoc loco Stirps pro eâ personâ, quæ quasi radix reliquarum, seu, à quâ omnes aliæ proveniunt. Estque vel Remota, ut Adam, respectu omnium hominum; vel Propinqua, v. g. Saul, respectu Jonathanis, David, respectu Salo-

Salomonis; Philippus, resp. Alex. M. De hac, non de illâ erimus solliciti.

Th. 20. Ut ergò intelligamus, quæ personæ inter se possint ritè matrimonia inire, præcognoscenda sunt duo: *I. Graduum Supputatio. II. Eorum prohibitio.*

Th. 21. *Gradus est distantia unius personæ ab alia, vel, est, habitudo distantium personarum, quâ cognoscitur, quota Agnationis, vel Cognationis, seu Affinitatis distantia.*

Th. 22. Prius autem, quàm de Supputatione loquamur ante omnia nosse oportet, quid *linea Consanguinitatis*. Uti enim hac; ita quoq; ratio supputandi Gradus variat.

Th. 23. Est igitur *Linea personarum collectio ab eodem stipite descendantium, gradus continens, & numeros distingvens.*

Th. 24. Distingvitur in *Rectam, & Obliquam*, quæ alias *Transversalis, seu Collateralis* dicitur.

Th. 25. *Linea Recta* est, quæ continet Personas, quæ parentum liberorumve nomine veniunt. Inde est vel *Ascendentium, vel Descendentium*. In hac sunt *Liberi* v. g. *Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos, Trinepos*. In illâ verò sunt *Parentes*, ut *Pater, Avus, Proavus, Abavus, Tritavus*, usque ad *Majores*.

Th. 26. *Obliqua, seu Collateralis* est series personarum, quæ quasi nobis à latere junguntur, h. e. à quibus nec nos originem ducimus, nec illi à nobis, nobiscum tamen ab uno communi stipite descendunt. Dividitur vero hæc rursus in *Equalem & Inequalem*. Illa est, quando duæ personæ, una in *Rectâ*, altera in *Collaterali*, eodem distant gradu à communi stipite. Hæc verò, cum una persona communi stipiti proximior est, altera verò remotior.

Th. 27. Alia autem ratio computandi Gradus est *Juris Civilis, alia Juris Canonici*.

Th. 28. Jus Civile hanc observat regulam: *Semper generata persona adjicit gradum, seu, Quot sunt generationes, tot sunt Gradus*. v. g. si scire discupio, quoto Gradu Pater & Filius sibi invicè sint conjuncti, ita dicendum erit: *Filius progenitus à patre,*

patre, est una Generatio : Ergò, unus Gradus, & pater filio in primo gradu conjungitur. Si quis scire aveat, quoto gradu Avus sibi jungatur, dicendum erit : Filius procreatus à patre, est una generatio, pater verò ab Avo, est secunda : ergò secundus gradus. Et sic Avus filio secundo Gradu conjungitur. Sic etiam in Descendentibus, nec non in linea Transversali Æquali & Inæquali regula hæc procedit.

Th. 29. *Jure Canonico*, de cujus Computatione nobis sermo est, aliter se res habeat, ita ut ad causandum novum gradum duæ personæ requirantur, ex ea ratione, quia Jus Canonicum dinumerat Gradus ratione matrimonialis copula.

Th. 30. Quod verò attinet lineam Rectam, nulla differentia est inter Jus Civile & Canonicum, quia eadem regula, quæ supra fuit exposita, locum obtinet, videlicet; *Tot esse Generationes, quot Gradus.*

Th. 31. Porro in Collaterali hæc valet Regula : *Quoto gradu uterq; distat à communi stipite, eodem quoq; inter se distant*, veluti duo fratres, Consobrini, Consobrinorum filii, & horum liberi &c.

Th. 32. Et sic consequenter de *Linea Inæquali* hæc traditur regula : *Quoto gradu distat remotior à stipite, eodem quoque gradu inter se distant*; ut : Patris mei frater seu Patruus est mihi secundo gradu conjunctus, quia filius à communi stipite tot gradibus distat.

Th. 33. His ita prælibatis accingimus nos ad *Graduum prohibitionem*; de qua tres potissimum, ex ipsâ naturâ collectæ sunt regulæ, adeò, ut, qui eas transgreditur, contra ipsam videatur agere naturam.

Th. 34. *Prima* autem ita se habet : *In lineâ Rectâ, tam Ascendente, quàm Descendente prohibentur Nuptiæ in infinitum.* Præcipuè enim in Nuptiis contrahendis naturale Jus & pudor est inspiciendus. Contra pudorem enim est, filiam suam uxorem ducere. Quam Conjunctionem, quatenus contrariatur Juri Naturali plerq; gentes, imò ipsa bruta abhorrent.

Hinc

Hinc memoratu dignum, quod mater Dionysii, Tyranni Siciliae, dixisse fertur, cum conatus esset filius, illi stuprum inferre: *Tyrannum civiles leges mutare posse, non naturales.*

Th. 35. Nec falsitatis arguunt, quæ diximus exempla quorundam populorum, qui seposita omni honestate cum Parentibus, & hi cum liberis coitus illicitos habuerunt; uti de incolis regionis Nauræ testatur Curtius lib. V I I. *quibus cum parentibus stupro coire fas fuit.* quibus adde Persas & Parthos veteres. Sed dicimus, ex malis exemplis neminem aliquid colligere posse, cum certum sit, ejusmodi gentium quæ aliàs luxuriæ & immanitati deditæ, impetui potius atque pravæ educationi, & moribus depravatis ascribendum esse, existimamus cum Grotio lib. 2. de J. B. & P. c. 5. adde Arist. l. 9. c. 46. de hist. anim.

Th. 36. *Secundò: In linea Collaterali Aequali prohibentur Nuptiæ usq; ad tertium gradum, v. g. Frater & Soror matrimonio jungi non possunt, propterea, quòd, qui ex eodem patre, eademque matre nascuntur, ita inter se sint conjuncti, ut penè iidem esse videantur. Nec Consobrinis, nuptias inter se contrahendi, permissum est, non equidem, ac si Jure divino hæc interdicta essent, utpote, quod sese ultra primum gradum non extendit; sed quod propius accedat ad primum gradum, quem illibatum conservari necesse est.*

Th. 37. *In linea Collaterali Inequali in primo Gradu, prohibentur Nuptiæ in infinitum, ratio est, quia istæ personæ sese habent ut Parentes, aut, mortuo patre, patris loco habentur. Patris autem loco qui est, non potest cum filia matrimonia contrahere. Levitici c. 18. v. 10. & cap. 13.*

Th. 38. Atque hæc de Nuptiis ob *Cognitionem* vetitis; proximum est, ut alterum impedimentum, *Affinitatem* expendamas.

Th. 39. Licet autem *Cognatio* Jure sanguinis nectatur, ut supra dictum est; *Affinitas* tamen ex Nuptiis & Conjunctione duorum coalescit; sic dicta quasi, ut nonnulli volunt, *duorum ad unum finem unitas*, eò, quod per matrimonium duæ *Cognitiones*, quæ ante inter se diversæ erant, copulentur,

B

& hoc

& hoc modo altera, ad alterius fines accedat *l. non facile 8. §. 3. π. de Gradibus*, ubi nomina, quibus Affines distinguntur, recensentur & explicantur.

Th. 40. Et quantum ad prohibitionem Nuptiarum atinet, ante omnia sciendum, *nullos esse Affinitatis gradus*; nihilominus tamen ex Affinibus dantur nonnulli, qui parentum liberorumve locum obtinent, ut: focer, focrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna *d. l. 4. §. nomina 6. π. cod.* Et hi Cognatorum instar nuptias inter se contrahere prohibentur, usq; adeò, ut incestæ Nuptiæ Jure Gentium habeantur inter hujusmodi personas contractæ.

Th. 41. Si verò, qui non sunt ex numero Parentum & Liberorum, Affinitate tamen inter se copulati, illi invicem coire Jure nostro Civili non vetantur. Excipitur duntaxat fratris conjux, & soror uxoris. Fratris enim uxorem ducendi, aut duabus sororibus jungendi, penitus licentia submota, dissoluto quocunque modo conjugio. *Quamdiu enim matrimonium constat, durat quoque Affinitas: eo verò dissoluto, licet Affinitas concidat, tamen, quantum ad prohibitionem Nuptiarum atinet, eam adhuc considerari, honestatis est.* *Myns. ad Inst. Tit. de Nupt.* Quare nuptiis per mortem uxoris finitis, nihilominus inter virum superstitem, & defunctæ uxoris cõsangvineos ad quartum usque gradum durat Affinitatis effectus, quicquid etiam non nemo dixerit, nuptias hæcce approbans.

Th. 42. Et quamvis Affinium propriè nulli sunt gradus, possunt tamen ad similitudinem Cognatorum certis Gradibus distingvi. Hinc ista tradita est Regula: *Quoto gradu quis uxori est Cognatus, eo gradu efficitur Mariti affinis.* Unde Frater Uxoris meæ Jure Civili est in secundo Affinitatis gradu, cum uxorem meam secundo Cognationis gradu attingat.

Th. 43. Hæcque de gradibus dicta sunt, quos excipit *Finis*, qui est vel *Principalis*, vel *Minus principalis*.

Th. 44. *Principalis*, est *Sobolis Procreatio*. Etenim *Mas & fœmina cum in finem ineunt societatem conjugalem, ut sibi simile relinquunt, ut ait Philosophus lib. 1. Pol. c. 11.* Unde idem monet:

Vita

Vita tempus ut observent, et aetibusq; in idem concurrant, nec discrepet gignendi potentia. Cum enim humana individua corruptioni sint obnoxia, ideoque maximè necessarius est actus generationis ad naturæ humanæ conservationem in specie per continuam novorum individuorum productionem, atque ita Conjugium facit, ut homines, cæterà mortales, generatione perpetuâ immortales fiant.

Th. 45. *Finis Minus principalis est, Mutuum Adjutorium.* Non enim tantum Conjuges procreationi liberorum operam dare debent, sed etiam in id juxta incumbere, quo procreatos servent & benè educant. In hoc enim maximè conspicitur hic finis, ut liberòs durante matrimonio, usque ad Emancipationem invicem alant, foveant, & sibi invicem manus porrigant.

Th. 46. Hactenus igitur dictum est, quid ad matrimonia ritè instituenda prærequiratur, & quomodo institui debeant, restat, ut etiam dicamus, quâ ratione vinculum istud dirimatur.

Th. 47. Superius in th. 8. diximus, matrimonium debere individuan vitam consuetudinem continere, quod equidem, intentionem considerando, verum est, sæpius tamen accidere solet, ut præter spem dissolvantur, idq; cum fit, dici solet *Divortium* propriè sic dictum.

Th. 48. *Divortium autem est Matrimonii diremptio & separatio, eo animo, ut nunquam redintegretur, dictum à diversitate mentium, vel quia in diversas partes ire creditur. Albusius Jurisp. Rom. lib. I. cap. XXXIX.*

Th. 49. Per *Mortem* hoc fieri solet, quando una persona ex Conjugibus, ex hac vita discedit. Quod si *morte naturali*, tum intra annum luctus nubere prohibetur; si verò *Civili*, v. g. captivitate, quando maritus in hostium venerit potestatem, tamdiu operiendum erit, usque dum de ejus morto constet.

Th. 50. Nec minus hoc accidit per *Adulterium*, & rectè quidem. Nam in eo non amplius est fides conjugalis, &

consensus, quo adhibito, nuptiæ constituebantur; inter illas personas non est mutuus, sed planè dissensus.

Th. 51. Aliam adhuc Divortii causam apponit Apostolus Paulus: *Malitiosam desertionem. 1. Corinth. 7.* quando una ex Conjugibus, violatâ fide Conjugali, alibi se confert; & quia hujusmodi desertiones rarò sunt sine adulterio, tunc permittitur alteri parti ad secundas transire Nuptias

Th. 52. Obiter hic notamus quæstionem illam,

An Vinculum Matrimoniale ob furorem supervenientem dissolvatur, Resp. quod non.

Est enim Vinculum tam arctum, ut nulla ratione extra dictos casus dissolvi queat; Præterea cum sit summus amicitiae gradus, injustissimum foret, amicum auxilio indigentem deserere. Nam *matrimonium est consortium omnis vite in utraque sorte, secundâ & adversâ l. si cum 22. §. 7. π. Solut. matr.*

Th. 53. Sterilitatem insuper, sive Impotentiam matrimonium tollere, nonnulli autumant, si nimirum vir debitam benevolentiam uxori, aut uxor marito exhibere nequeat, cum *sublata causâ, tollatur effectus.* Deinde conantur quamplurimis hoc ipsum demonstrare exemplis, & dicunt, olim quoque eodem modo divortia permessa fuisse. Ad quod Resp. Licet olim usu ita receptum fuerit, ut conjuges propter sterilitatem alterutrius, à se invicem distraherentur, *non tamen omne, quod licet, honestum est.* Contingit sæpius, ut quoque mulier ad tempus fuerit sterilis, sæpissimè tamen votis respondeat eventus. Nec opus est, rem demonstrare exemplis, si aspiciamus agricolam. Hujus enim in potestate quemadmodum non est positum, ut fundus, diligentissimè ab eo confitus, fructus semper ferat: Sic & Conjugum arbitrii non est, prolem suscipere. Conjuges ergò hancce calamitatem æquo potius perferre debent animo, persuasum habentes, DEI hanc esse voluntatem, ut continenter vivant, DEUMque ipsis non defuturum, quo perseverare patienter possint, proindeque in cæteris conjugii finibus, *mutuo nimium Adjutorio*, sibi invicem deesse non debent.

Th. 54.

Th. 54. Ex hac denique societate *Maritus* duplicem ac-
quirit potestatem, *Maritalem & Patriam*. Illa est, quam ma-
ritus habet in uxorem, quæ tamen non ad Jus vitæ & necis ex-
tendenda, cum vindicta privata sit prohibita; sed potius est le-
gitimus uxoris defensor; & uxor è contra tenetur marito obse-
quium præstare, & manum operibus diuturnis admove-
re; Hæc verò, quam Pater in liberos habet. Quæ est vel *Naturalis*, vel
Civilis. Naturalis est in liberis ex justis Nuptiis procreatis. Un-
de liberi dicuntur *Naturales & Legitimi* simul. Ex injustis,
sive illicitis, nuptiis nati dicuntur *Spurii* seu vulgò concepti,
qui nullum patrem habent. Unde quoque non possunt esse in
patriâ potestate; sed sequuntur matrem. Civilis fit per Ad-
optionem, quando quispiam Major natu, minorem, v. g. filium
extraneum, aut etiam ex suâ familiâ, ex lineâ descendenti na-
tum, in solatium & subsidium vitæ adoptat, atque
tunc Adoptatus patri Adoptanti ab intesta-
to succedit.

SOLI DEO GLORIA.



COROL-

COROLLARIA.

I. Error in persona, non in qualitate vitiat.

II. Nostrum Imperium Romano-Germanicum non amplius est Monarchicum, sed Aristocratiâ temperatum.

III. Rectè dicitur: legem Regiam Augusti tempore latam esse.

IV. Princeps legibus civilibus solutus est, non verò naturalibus.

V. Bona Naufragorum ad peregrina ejecta littora, à Dominis territorium occupari, nefas.

*Pereximie, ac Eruditissime Dne. MTLI, Amice
plurimum Honorande.*

Non multis excurram in laudes tuas, quod
facere, esset in proclivi. Non enim exi-
guo temporis spatio Philosophiæ tantum
studio strenuè operam navasti, quod plurimis,
primis equidem annis sufficit: Sed & ipsius
Themidis sacra intrepidè aggressus es; eo qui-
dem successu, ut, quid præstiteris, in præsens
Eruditorum examini exposita satis edoceat dis-
sertatio. Paucis plura complexus fuisti, eoq;
haud obscurâ brevitate sat edocuisti, quod in
materiam spinosam, multis difficultatibus ob-
noxiam, eruditè penetraveris. Objectiones
circa quamvis materiam urgeri solitas, præter
paucissimas conflictui reservas, inibi tui ingenii
felicitem, atque politam eruditionem publi-
cè expositurus. Gratulor hisce conatibus, pre-
corque incrementa patriæ Reipublicæque tan-
dem inservitura. Sic precor, ac voveo

*Dabantur raptim è Muséo,
27. Junii 1668.*

*T. Perex. Præst.
addictissimus*

M. JACOBUS Köser.

1124

Plura Tibi Pereximie hujus Disputationis
Autor, Amice honoratissime, quam nudas
laudes debere me sentio, ex quo suavissimam
familiaritatis Tuæ frui consuetudine licuit: sed
neque has ipsas per notam Tibimet temporis,
quâ nunc premor, penuriam licet persolvere.
Interim gratissimum accidit quod hoc officii
cum Clariss. Dnus. PRÆSES, tum quod primam
hac vice eruditissimè elaborasti Scriptum, me in-
præsentiarum sublevarunt: de quo Per-eximie
T. Præst. non possum non ex animo gratulari &
precari DEUM, ut primus is nuptiarum Autor
de NUPTIIS differenti ex altô benedicere ac
Musis Tuis Charitum aliquam, Perpetuale scil.
refugium Nuptiis atque Conjugio stabili sociare
vitæ velit.

Dab. è Museo d. 27.

Junii 1668.

*Perexim. Præst. T.
Addictissimus*


Hartmannus Wilhelmus
ab Holleuffer.



X2615925

VD17





13687

16. 3

1668

20

Q. D. B. V.
 DISSERTATIO POLITICA
 De
NUPTIIS,

Quam
 Dei Trinunius Clementia

adjuvante,
 in

Celeberrima VVitebergensium Academia

SUB PRÆSIDIO
 VIRI

Præ-Eximii & Praclarissimi,

DNI. M. JACOBI Rosers /

Sondershusâ Schvvartzburgici,

Fautoris atq; Præceptoris sui maximoperè colendi,

Publico & placido Eruditorum Examine

submittit

AUTHOR

ANDREAS MYLIUS,

Ileburgô Misnicus.

In Audit. Minor. ad d. 11. Jul.

hor. antemerid,



VVITEBERGÆ , Typis Johannis Haken,
 M. DC. LXIIX.

